



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Quæstio I. De Odio Dei, & Proximi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

DISTINCTIO VII.

De Vitijs Charitati oppositis,

QUÆSTIO I.

De Odio Dei, & Proximi.

Deus secun-
dum se ne-
quit odio
haberi, sed
solum quod
ad effectus
suos.

Advertendum, quod Deus dupliciter considerari possit: primò secundum se, ut est summum, ac infinitum Bonum; & sic à nullo potest Deus odio haberi: nam ubi nulla est ratio mali, ibi nullus potest esse actus odij. Deinde potest Deus considerari quoad effectus suos, quatenus scilicet punit peccatores, leges ac præcepta carni contraria posuit, immittit calamitates hujus sæculi diversas, & tandem transgressores mandatorum suorum æternaliter cruciat in inferno: & hoc pacto dæmones, & nonnulli perversi homines, Deum odio prosequuntur.

Odium Pro-
ximi, du-
plex, perso-
na, seu Odium
inimicitia.
Et qualita-
tis, seu Odium
abomina-
tionis.

2. Advertendum ulterius, quod Odium proximi duplex esse possit. Unum dicitur *Odium persone*, quo personæ cuiquam nobis displicenti malum volumus, quatenus ipsi malum est: & hoc alio nomine dicitur *Odium inimicitia*. Alterum appellatur *Odium qualitatis*, quo personam aversamur duntaxat secundum malum ipsi adjacens, quod nobis vel alijs contrarium est, non autem secundum seipsam: & hoc vocant *Odium abominationis*, Layman lib. 2. quæst. 3. cap. 8. n. 1. & alij.

Odium Dei,
quale pec-
catum?

3. CONCL. I. Odium Dei est peccatum gravissimum Charitati oppositum, neque illud ob parvitatem materiæ potest fieri veniale. Ita Bonacina *disp. 3. de Præceptis Decalogi, quæst. 4. punct. ult.*, & alij. Ratio est: quia quodlibet odium in Deum repugnat summæ ejus Bonitati.

Odium Pro-
ximi est ex
genere suo
mortale.

4. CONCL. II. Odium proximi ex genere suo est peccatum mortale, oppositum Charitati. Ita communis. Ratio est: quia sicuti virtute Charitatis Deum & proximum diligimus, ita actibus Charitati oppositis homo Deum & proximum detestatur; ergo & odium proximi est ex genere suo peccatum mortale, cum opponatur excellentissimæ virtuti Charitatis.

5. Di-

5. Dicitur, *ex genere suo*. Siquidem odium proximi potest fieri veniale, tum ob imperfectum animi consensum, seu indeliberationem actûs (quod etiam in odio Dei locum habet) tum ob paritatem materiæ: ut si quis leve malum alicui optet, aut si levem aliquam displicentiam, seu modicam aversionem habeat erga proximum: hic enim non peccat mortaliter. Idem dicendum, etiam si quis fastidium, indignationem, & quandam modicam aversionem concipiat erga eos, qui nobis spiritualia consulunt, puta erga Concionatores, Confessarios, &c.

Potest per accidens fieri veniale.

6. CONCL III. Et si interdum licitum sit, hominibus malis, sive peccatoribus, ex odio abominationis, seu ob qualitates pravas ipsis adjunctas, optare malum, v. g. ut fur Republicæ noxius suspendatur; non quidem hoc oprando, quatenus malum ipsis est, sed quatenus boni rationem habet, atque inde mala impediuntur (a) nihilominus odium inimicitiae, quo personam proximi odio habemus, Charitati semper adversatur, ut dictum Concl. præced. Hinc

Oidium inimicitiae semper illicitum, non sic Odium abominationis. (a) Ut dicitur in Diff. 6. p. 25.

7. Inferitur I. Eum graviter peccare contra Charitatem, qui alicui magnum malum exoptat ex displicentia personæ, seu quatenus absolute ipsi malum est, non verò ob bonum ipsius vel alterius. Idem de eo dicendum, cui persona alterius tanquam infesta & odiosa displicet, sicque ipsam non esse desiderat, aut aliud grave malum ex animo precatur. Et hoc ipsum procedit de illo, qui gaudet de gravi malo proximi, quia ipsi malum est. Ratio est clara: quia hæc pertinent ad odium personæ, quod vocant *Oidium inimicitiae*.

Corollaria de Odio inimicitiae, seu personæ.

8. Inferitur II. Secus esse dicendum de eo, qui gaudet de malo alicujus, vel tristatur de ipsius bono ex honesto motivo. Sic quippe à peccato mortali excusatur, qui de alicujus infirmitate, vel morte lætatur; eò quòd sic non possit amplius nocere Communitati, aut sibi esse occasio peccandi. Similiter non peccat, qui tristatur, Dignitates conferri indignis, impios exaltari, sicque habere ansam amplius nocendi probis hominibus: quia hæc spectant ad odium qualitatis personæ, quod alio nomine *Oidium abominationis* appellant. Quinimò Bonacina *loc. cit. num. 7.* hoc extendit ad matrem, quæ mortem filiarum exoptat, eò quòd non habeat, unde eas vel ob deformitatem, vel ob inopiam, honestis nuperis tradat.

Et Odium qualitatis personæ, quod vocant abominationis.

9. Insuper passim Doctores à peccato excusant eos, qui cum debita resignatione in Divinam voluntatem, atque patientiam

Optare sibi mortem à



Deo, quan-
do non sit
peccatum?

tia (secus, si fiat ex impatientia, aut desperatione) sibi à Deo mortem exoptant ad subterfugiendas multiplices miseras huius sæculi. Et multò magis id dicendum, si tale desiderium concipiatur ex metu Deum offendendi peccato mortali, aut ex desiderio ipsum æternaliter videndi in æterna beatitudine: nam tale desiderium passim à Libris Asceticis commendatur tanquam bonum, laudabile, Deoque placens, juxta illud Apostoli, Philipp. i. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

Cavendæ
quoad pro-
positum
quædam
Propositio-
nes damna-
tæ.

10. Ne autem in præsentī materia laxentur habentis mali-
tias hominum ob indiscretas, imò scandalosas quorundam illa-
tiones; meritò huic malo Sedes Apostolica providendum cen-
suit, dum Innocentius XI. Anno 1679. sequentes Propositiones,
sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas (ita
sonat censura) esse damnandas, & prohibendas statuit, & decrevit. Una,
& ordine 13. sic sonat: *Si cum debita moderatione facias, potes absque
peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere,
illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia per-
sonæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Ita Propositio damnata.

Ratio dam-
nationis re-
fertur.

11. Ratio hujus damnationis est: quia quamvis ordinatè,
& salvâ Charitate fieri valeat, quòd quis sive ob bonum spiritua-
le ipsius, vel alterius, aut propter bonum commune Reipublicæ,
vel etiam ad evitandum ingens malum temporale, optet alteri
mortem, vel aliquod temporale incommodum; prout notat
Doctor Angelicus 2. 2. q. 76. art. 1. & in 3. dist. 10. art. 1. cum
Doctor Subtilis in 3. dist. 30. quæst. un. (sic enim principalis inten-
tio non fertur ad malum, sed ad bonum spirituale ipsius, vel al-
terius, vel ad bonum Communitatis, & ut alter nocere desi-
nat) Nihilominus illicitum est, & Charitati repugnans, optare
mortem proximo ob bonum temporale non necessarium, aut
quodcunque etiam modicum: quia tale bonum censetur esse
levioris momenti factâ comparatione cum vita hominis; ut
rectè notat Joan. Cardenas in *Crisi Theologicâ ad cit. Propositionem 13.
Innocentij XI. cap. 3.*

Aliæ Propo-
sitiones
damnatae.

12. Altera, & ordine 14. Propositio damnata, sic sonat:
*Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem, ut malum
patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis here-
ditas.* Similiter & sequens Propositio, ordine 15. meritò est dam-
nata: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate
perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.* Hæ
proinde Propositiones, tanquam damnatae, erunt cavendæ; idque

idque ob rationes *num. prac.* allatas, quæ fortius urgent in proposito, ob amorem à filijs specialiter debitum parentibus.

13. Quæres, quale peccatum sit Maledictio, qua alicui homini malum imprecamur, v. g. ut fulmine, laqueo pereat, diabolus eum rapiat, &c. Resp. I. Certum est, maledicere alicui serio, & ex animo, esse ex genere suo peccatum mortale, quamvis ex inconsideratione actus, vel levitate materiæ, aut si non fiat serio, sed potius ad ostendendam suam displicentiam, vel indignationem, possit esse veniale: puta, si parens filio, hera ancillæ malum imprecetur, non ex animo, ut ita eveniat, simulque id fiat absque notabili honoris imminutione; uti post alios exemplificat Layman *loc. cit. cap. 8. num. 8.*

Maledictio
quale peccatum sit?

14. Resp. II. Proximo sine justa causa serio maledicere, seu malum optare, Charitati repugnat, & ad peccatum Odij pertinet; interdum etiam Justitiæ repugnat, & ad Contumeliam spectat. Ita communis. Exemplum prioris est: si quis cuiusdam absentis ex animo maledicat; nam hoc soli Charitati contrariatur. Exemplum posterioris est: si quis serio maledicat præsentis, ac in faciem ipsius; hoc enim insuper continet Contumeliam, quia lædit honorem Proximi.

Et cui virtuti repugnet?

15. Solent hoc loco Doctores agere pariter de Invidia, & Acedia, utpote quæ etiam sunt peccata mortalia Charitati repugnantia. Verùm de istis jam dictum superius (b) explicando septem Peccata Capitalia, inter quæ & hæc duo connumerantur.

De Invidia, & Acedia, remissive.

(b) Tract. 3. Dist. 3. quest. 4. & 7 per totum.

QUÆSTIO II.

De Scandalo.

16. **C**ONCL. I. Scandalum rectè definitur, dicendo: *Scandalum est dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.* Ita communis. Dicitur, *dictum, vel factum*: quia externa tantum actio (subintellige quoque omissionem ejus) potest habere rationem Scandali, non autem sola cogitatio interna. Et additur, *minus rectum*: quia non solum actio mala, sed quæ tantum habet speciem mali, potest habere rationem Scandali, si alteri occasionem peccandi præbitura sit.

Scandalum, quid?

17. CONCL.